



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, A. M.DC.XXIX

Feria II. Post Domin[icam] I. Quadragesimæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56232)

fidelius in hoc mundo nomini tuo obsequiū prestemus, expectantes hic interim donec in altera te vita laudate contingat. Amen.

FERIA II. POST DOMIN. I.
QVADRAGESIMÆ.

Partitio.

- I. De triduo Dei ac nostro.
- II. De horrore & furore iudicii extremi, manuumque Dei.
- III. De ipso iudicio.
- IV. De Iudice.
- V. De his, qui erunt iudicandi.

Cum venerit Filius hominis in maiestate sua,
& omnes Angeli eius cum eo. Matt. 25.

FIGVRA.

Eph. 3.

Magna quidem omnium Iudæorum fuit consternatio, & tremor, quando Amanum primum Regis Assueri purpuratum licentiam à Rege impetrasse inaudiuere, qua omnes, quotquot per vniuersas regni provincias dispersi erant, Iudæos a puero vsque ad senem, paruulos simul & mulieres, à minimo vsq; ad maximum, occideret & deleteret. At maior sane vniuersalis Ecclesiæ est consternatio, cum hodierna die Iesum Christum, omnium principum maximum, & primū cælorum Satrapam, à Patre æterno totius mundi potestatem videri accepisse. *Cum venerit filius hominis in maiestate sua*, ecce magnum principem: *tunc congregabuntur ante eum omnes gentes*: ecce potestatem actionis intentanda: O tristem & lugubrem nuntium! 6 dies vere formidabiles! Vt autem furorem iudicis huius, & iudicij illius terrorem digne queam explicare, prociadamus in genua coram gloriosa Virgine Maria, & eam salutatione qua Angeli tandem salutare confueverunt, salutemus.

A V E M A R I A.

- I. Ferunt magnum illum Tamberlanem, orientium quos Scythæ & Turcæ vnquam habere, regem crudelissimum & immanissimum.

in obsidione urbium primo die alba Immanitas tentoria explicare consueuisse: quo obsessi Tamberlanis in obsidione se dedissent, patere intelligerent. dedit urbibus. Postera autem die animum vna cum tentoriis commutare solitum, & pro albis nigra extendisse: vt hinc inclusi cognoscerent, nisi se suaque omnia traderent, mortem certissimam imminere, at tertia omnia rubicunda in castris & sanguinei coloris fuisse, vt hoc signum esset obsessis, nullum misericordiae aut clementiae locum relictum, at omnia ferro igni euertenda.

Verum relicta hac Barbari crudelitate, quis scit, an tyrannico hoc stratagemate indicare voluerit Deus, diuina illa & admirabilia stratagemata, quibus ipse nobiscum vteretur? His enim modis & stratagematis ad animas nostras rebelles & effrenas expugnandas vteris, o Princeps æternæ. Tres namq; dies concedis: quarum prima, qua animas nostras obsides, id est, ipso natiuitatis initio, alba omnia demonstras, clementiam reseras, & Sacramentorum omnium thesaurus & gratiarum archiuua recludis. Secunda vero, id est, ipsa mortis die, signa doloris explicatur, terrores congeruntur, & certamina cõstipantur: semper tamen misericordiae locus patet. Verum tertia, id est, ipsa iudicij die: omnia cruenta, omnia rubicunda sunt sanguine: rigor vndique, furor vbiq; & iustitia; misericordia autem & clementia penitus exulant.

Refert Ludouicus Granatenis primum & Religiosus sanctæ vitæ monachum, toto vitæ suæ tempore nullum alium librum legisse, quam quendam trium foliorum, quem ipse sibi consecerat; quorum primum totum erat candidum, secundum nigrum, & tertium rubrum. Primum representabat ei pulchritudinem beatitudinis æternæ; alterum, terrorem & horrorem mortis; tertium, rigorem & seueritatem iudicij. & cum totum vitæ suæ tempus huic vni studio impendisset, vix tamen hæc potuit comprehendere. Hic liber est, Auditores, qui nobis hodie euoluendus est, hæc sunt folia quæ hodierna lectione percurrenda sunt, ac præsertim folium extremi iudicij: h. e. Alphabetum, quod Dauid Propheta toties se legitte

Pfal. 16.
Pfal. 83.
Pfal. 41.

Pfal. 114.

Pfal. 141.
Pfal. 118.

Gen. 7.

Gen. 19.

gisse exclamet, dicens: *Satiabor cum apparueris gloria tua: & deinde, Concupiscit & deficit anima mea in atriis Domini: & alibi: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*, hæc ad primū folium. *Praoccupaserunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me*, hæc ad secundum; *Memor ero dierum antiquorum, & deinde, Ad iudicium enim tuum timui*, hæc ad tertium spectant folium. Dicere vult Propheta, gaudium quidem felicitatis aternæ me semper in admirationem sui & amorem traxit: sed quādo mortis hororem memoria repeto, terrore percællo; in primis vero horrēdus ipse iudiciorum tuorum dies me consternat & concutit, quæ super omnia semper timui. O diem vere terribilem & lugubre est, fateor, audire mala & damna, quibus mundus tempore cataclysmi fuit inuolutus, audire, vt cælum terris irarum quadraginta dierum & noctium spatio, abyssis & cataractis aquarū referatis, vniuersam terræ superficiem vndis contexerit: quisnam, obsecro, hæc audiendo temperet a lacrymis? At ludicra sunt hæc, si cum ijs, quæ extremi iudicij tempore euentura sunt, conferantur; quando sc. elementum ignis, quod infinitis partibus est aqua truculentius, totum terrarum orbem in cineres & fauillas redacturum est; *montium quippe fundamenta comburet*. An non hoc longe erit horribilius?

Triste quidem incendium, & communis illa conflagratio Pentapoleos fuit, qua Sodomā & Gomorrhā ciuitatesque circūiacentes perierunt: at multo tristior & miserabilior conflagratio illa totius mundi erit; in quam si oculos conijciamus, maiorem haud dubie ingemiscendi materiam reperiemus. Conclamabitur ad incendium in Oriente, conclamabitur in Occidente, ignis erit sub polo Arctico, erit & sub Antartico: Africa fumabit, America in cineres redigetur, omnia flagrabunt in Asia, omnia incendio peribunt in Europa, quin, & ipsi Antipodes igne inuoluentur; & in cineres redigentur. Vere igitur mihi dicere liceat, o dies iræ, dies calamitatis & miseræ!

Vere, inquam, miseræ: quando cælum

horribili boatu tonitrua emittet, aer vndique fumabit, terra concussa tremet, & mare præ ardore exastuabit. Hic est tertius ille dies Tamberlanis, o homo, hoc est tertium libelli folium: dies sine clementia, dies sine vlla indulgentia & misericordia, dies cuius memoria nunquam ex hominum mentibus debeat excidere. Ad hoc nempe nos omnes Salomon hortatur, dicens: *Memorare nouissima tua, & in aeternum non peccabis*. Si enim vel semel, toto vitæ tempore viuam huius terribilis diei memoriam haberemus, nunquam animam ad peccandum applicarem. Quin & Dauid pater eius, totum mundum, quod raro iudicij extremi meminisset, in interitum ruere, & pessum ire arbitrabatur: *Hei Domine, mundus quotidie in peius ruit, mores eius peruersi, & vita dissoluta; & quia non est Deus in conspectu eius, hinc ingurgata sunt via illius in omni tempore & vnde quæso hoc, o Propheta? quia auferuntur iudicia tua à facie eius*. Causa videlicet omnis mali calamitatisque, & peruersæ eius vitæ ratio est, quia iudicia tua irreuocabilia, iudicia tua horrenda & formidanda præ oculis non habet, aut reformidat.

Merito itaq; Moses lacrymans & gemens *Deut. 32.* exclamat: *Gens absq; consilio est, & sine prudentia, utina n sapient, & intelligerent, ac nouissima prouiderent*. Apostolus etiam Paulus terribilis huic diei terrore percussus scribēs *Hebræis*, ait: *H. vrendum est incidere in manus Dei viuenti q. d. Rerum tuarum satage, o homo, recordare iudicij, & cogita horribile esse, in manus Dei, tempore iudicij incidere. Quare autem, o beate Apostole, dicis, In manus, numero plurali?*

Hem quodnam hic ostium referatur egre-Deus in hoc gijs conceptibus? Solet hoc in mundo Deus mundo non percutere & castigare, sed tantum vna manu; verum in die iudicij vtraque peccatores si vna manus ipsos castigabit. In hac vita vna tantum vtitur manu, altera quodammodo colligata est; in die iudicij vtraque. Castigatio illa per diluuium, per incendia, *Gen. 7.* per primogenitorum stragem, per exercitus demersionem, castigatio fuit vna tantum manu inflictā; verum in die iudicij vtraque manu

Pfal. 9.

Heb. 10.

Cap. 7.
Exod. 12.
Exod. 14.

manu castigabit. Quantus erit tunc terror! quid igitur erit, in vtrinq; Dei manum incidere, duab. eius manibus castigari, percuti, & condemnari?

Job. 19.

Ios harum manuum vnam in seipso sentiēti, omnes tam homines quam Angelos, & totum deniq; mundum ad auxilium sibi ferendum inuitavit, dicens: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei*. Quid ita omnes ad tibi succurrendum inuitas? quænam est illa tua calamitas? quod malum pateris, ô Prophetæ? *Quia manus Domini tetigit me*: illa vindex diuinę iustitię manus. illa mihi mortem interminat. Si tantum vna manu tactus ita plangit, quid tu peccator facies, cum vtramque dissolutam & in te vibratam senties? *Horrendum ergo est incidere in manus Dei viventis.*

Exod. 9.

ALIVM adhuc è verbis tuis conceptum excludo, ô Paule, cum mihi magni illius iudicis manus tui liberæ & dissolutæ fore ait, ac tum vel maxime faviturus: quam erit igitur terribile in earũ iudicium incidere? iam enim quodammodo cruci confixæ sunt, & vinculis eidem alligatæ, ita vt ijs ad homines castigandos vti non queat. Audite & aliam figuram. Tam graues Moyses in monte Sinai orantis manus erant, vt à duobus necesse habuerint sustentari, Aarone nimirum & Hur. Hinc ait Scriptura, *Manus Moysi erant graues: Aaron autem & Hur sustentabant eas ex vtraq; parte: cumq; leuaret Moyses manus, v. recedebat Israel, si autem paululum remisisset, superabat Amalec.*

In die iudicij manus Dei erunt dissolutæ & libera.

O mysteria admiranda! Quam diu Deus noster velut alter Moyses, iustitię suæ manus grauaras habens, in summo môtis illius cœlestis manet vertice: grauitas manuum eius à duob. sustentatur, patientia scilicet & misericordia: quæ quã diu ita corã Patre cœlesti eleuatæ sunt, & Moyses noster pro nobis intercedit: nos miseri, qui hic in Ecclesia militante pugnamus, vincimus & hostē sternimus, verum in terribili illo iudicij die, cum vtraque eius manũ dissoluta erit, angustia erunt vndiq; & turbatio: totus mundus in ruina erit & confusione. Ecquæ igitur tua temeritas est & negligentia, peccator, illius diei nunq; recordari? cum multa peccatorũ flagella mancant.

Tom. 1. Bessai Quadrage.

Ita porro D. Hieronymus horribilē hunc S. Hieron. diem reformidabat, vt omni vitæ suæ tempore terribilem illum tubarum angelicarum videbatur sonitum per omnes terræ angulos reboantibus iudicium, *Surgite mortui, venite ad iudicium*, sibi dici exaudire vilis sit, tubarum inquam, quæ totum mundum à mortuis excitabunt: nam,

*Tuba mirum spargens sonum,
Per sepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.*

Tuba scilicet, quæ hos ad gloriam & felicitatem æternam, illos vero ad supplicia & tormenta sempiterna euocabit. Tuba quæ tanto horrore personabit, vt omnes, vsque ad imum terræ centrum, sono eius excitandi sint: & tanta vehemētia & furore, vt pisces è mari, serpētes è cauernis, mortuos è sepulchris, dæmones ex infernali sit barathro excitura.

Ios. 6. 67.

Legimus in Sacris literis, ad sonitum tubarum sacerdotilium, muros Ierichuntinos corruisse. quam vero erit terribile ad sonitum tubarum Angelicarum, videre turre, pinnacula, tentoria, arces, vrbes, atq; omnia sublimia deorsum ferri, & in cinerem redigi? An nõ hodie tubam illam in auribus vestris, per Euangelij nostri campum reboantem & clangentem auditis? *Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo: tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, &c.* Circa quæ primum quidem de die iudicij, deinde de iudice, & de iudicij qui erant iudicandi, agemus.

Principio igitur haud necessarium puto, rationibus, quod verissimum, & luce meridiana clarius existimo, confirmare: iudicij aliud quod generale futurum, nam præterquam quod ipsa fides id adferat, Euangelium teste Iesus Christus doceat: ipsa sane ratio nos ad ipsam credendam cogeret, & plane conuinceret. Cum enim corpus & anima, in vnam societatem compacta, & simul habitantia, tum in bono tum in malo perpetrando, veluti simul elaborauerint: præter priuatum illud iudicium, in quo anima hinc discedens sola mercedem aut supplicium recipit, necesse est & aliud iudicij generale sequi, in quo omnes animæ simul & corpora

K k dam-

damnanda sunt, aut mercede donanda. Deinde necesse est & iudicium creationi respondere: sicut igitur creationem quamdam generalem, præter omnes singulares, fuisse certum est, ita quoque constat & iudicium aliquod generale, præter illa particularia, futurum. Tum vero, præter rationes iam dictas, certo certius est, quãdoquidem multi vita licet cum virtute transacta, absque aliqua bonorum operum mercede: & multi è contra flagitiosi, non accepta iusta delictorum castigatione, ex hoc mundo egrediuntur: diuina prouidentia esse, magnum quendam iuris dicundi diem constituit. & generale aliquod iudicium exercere, tum ad hos puniendos, tum vero ad illos in totius mundi conspectu, secundum opera sua remunerandos.

Solus Deus nouit tempus & diem iudicij.

Apo. 5.

Matt. 25.

Marc. 4.

1. Thess. 5.

Iudicium interdiu contingeret.

Vallis Iosaphat ad radicem montis Oliueti sita erit locus iudicij.

Joel. 2.

Tempus vero, quo hoc iudicium exercendum est, eiusque certitudo, vnus ex articulis magni illius libri est, cuius Ioannes in Apocalypsi meminit septem signaculis signati, quem nemo neque in celo, neque in terra, neque sub terra aperire poterat, ne dicam legere ea, quæ in eo descripta essent: Solus namque nouit Deus. Vos igitur tacete. Apostoli, cesserit indagare humana curiositas, non est uestrum nosse rem: ora neque momenta. Verum tamẽ verum noctu an interdiu iudicium futurum sit, inter Theologos controuersum est: dicunt alij noctu fore, verbis parabola illius de sponso noctu veniente inducti, *Media nocte clamor factus est, & verbis illis Euangelicis, de tempore tempestaris, quæ circa vesperum, & crepusculum noctis contingit: Cum sero factum esset, erat natus in medio mari: denique verbis illis Paulenis, ubi scribit iudicem venturum tanquam furem in nocte, ut homines incautos stertentes, nec operantes dispolet & trucidet. Verum repugnant alij quantum velint, equidem in eam potius cum Doctoribus sanctis Patribus sententiam concedam, ut de die futurum existimem.*

Quod ad locum spectat, designarunt eum olim ante multa annorum milia Propheta in valle Iosaphat, teste Ioele, *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallum Iosaphat, & discipabo ibi cum eis.* Optime potro quadrat locus iste, tum quia in mediotulio orbis est, tum vero, ut eo loci Christus homines

iudicaturus veniret, in quo olim ab hominibus ipse inique fuit iudicatus & condemnatus. Examen ipsum & scrutinium fiet intrinsecus in animo, & sententia verbis exprimitur, ut ab omnibus exaudiri queat.

Sed missas faciam curiosas has & parui momenti scrutationes: ut terrorem & horrorem magni illius diei eo melius ob oculos ponam. Ipsa quidẽ sacra Scriptura, quo eum nomine appellet, ignorat: & Prophetæ, quomodo eum nuncupant, nesciunt. Huiusmodi quibus eum nominibus, quibus cognominibus, quibus titulis, quibus argumentis, quibus epithetis eum indiget? Iob nominat diem furoris: David diem iræ, in quo & ipsos Reges iudicandos ait: *Confregit in die ira sua Reges.* Salomõ, diem vindictæ & ultionis. Ezechiel, diem plenum horrois: Sophonias, diem calamitatis & miserie. O nomina admiranda! ò proprietates non visitas! ò titulos & characteres incognitos.

Non est potro quod nouitatem horum epithetorum miremini, Auditores: cum sit illa dies, in qua sol deliquit passurus, & stellæ de celo casuræ sint, cum terra tremet, montes fumigabunt, bestie uulabunt, & omnia elementa in se mutuo insurgent: cum sit illa dies, in qua præter tonitrua nihil exaudietur, præter ignem nihil videbitur, præter fumosam caliginem nihil palpabitur: cum sit illa dies, in qua tygrides & leones, qui hæctenus vastas solitudines & reconditos recessus incoluerunt, in vrbes sese recipient, & è contra homines qui vrbes inhabitauerunt, deserta petent & cauernas: cum sit illa dies in qua demones in perpetuum cateerem recludendi sunt, peccatores æternis suppliciis addicendi, & corpora nouis tormentis adiudicanda: cum sit illa dies, in qua torrentes exsiccabuntur, flores marcescent, herbae congelascent, & viros campi emoriatur. Cum sit denique illa dies, in qua petra sciendentur, arbores denudabuntur, aues conticescent, pisces extinguentur: & in qua demum, ut coactuationem hanc missam faciam, mundus pessum iudicabit, & in nihilum redigetur.

Vos vero cælestes orbis, qui iam à quinq; annorum millibus tam recto, tamque æquali motu veluti ad numerum saltitantes circumbuntur.

Nomina magni diei iudicij.

Iob. 14. 10.

Psal. 109.

Prou. 6.

Ezech. 6.

Sophonias.

Quid in die iudicij uenturum sit.

Cæli post iudicium non amplius mouebuntur.

cum.

cum uolueris, post horribilem illum diem moueri desinetis, & veluti pondere quodam librati, loco fixi quiescetis: non amplius videbimus vos ab Oriente in Occidentem, nec ab Occasu ad Ortum citato cursu ferri. Tu autem Sol, oculus mundi, & lucida orbis fax, cursum tuum toties repetitū intermites: nec vllas ex tunc, o Luna, eclipses perhorresces.

Post diem illum non erit amplius memoria influxuum, quorū vos Philosophi toties meministis: Meteora tunc ē scholis exulabunt, tonitrua cessabunt, venti quiescēt, pluuia dissipabuntur, nec amplius fulgura mōtium ferient cacumina. Nullus erit sermo de fluxu & refluxu maris. Tu quoque terra non amplius generabis aut corrupes. Tu vero mare ab enutriendis tot clientibus & parafitis tutum eris: non habebis amplius pisces, aut Tritones aut cetos: nec amplius coarctatum eris erga stultis abyssorum: efflues libere, & omnem terram inuadabis.

Tum quoque fiet generalis omnium peccatorum, quæ vnquam in mundo facta sunt confessio, ibi penetralia conscientiarum reserabuntur, ibi libri aperti erunt: *Tunc illuminabit abscondita tenebrarum, & mani estabit consilia cordium.* Tunc, tunc inquam, quasi plena

die, ac meridiana luce clarius nefanda opera videbuntur, verba inhonesta & spurca intelligentur, & intimæ animorum cogitationes reuelabuntur: nihil quippe tunc occultum remanebit. Illic de sacrilegiis erit sermo, illic adulteria arcana & secreta detegentur, illic incestus aperientur, illic ad oculum furta occultissima videbuntur, illic hypocrites reuelabuntur, illic simoniaci & auari condemnabuntur, atque omnia, etiam tenebris & nocte obsita, in lucem prodibunt. In nunc, & peccata quantumlibet occultissime, abde te in abstrusos angulos, & in quælibet penetralia descende, fac quidquid libuerit: hic tamen omnia opera palam patebunt.

2. Reg. 12. Hinc olim ita ad Dauidem Nathan Propheta: *Tu fecisti in abscondito, ego autem faciam hoc in conspectu solis.* Tu, ait Nathan, domine Rex adulterium in abscondito commisisti, ac fit, illic publice apparebit. *hæc omnia reuelabit, & quo d ipse in abscondito & clam commisisti, Deus toti mundo*

detegat & manifestabit: quod priuatim commissum est, publice videbitur. Pecces igitur quoties quantumque volueris, fuge lucem & euita testes, vita tandem tua reuelabitur. Audi & aliam comminationem: *Reuelabo pudenda tua in faciem tuam, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam suam.*

Hodie quidem, o peccator vafre agis & versute, iam quidem peccata occultas & abscondis: at veniet aliquando dies, qua toti ego mundo ignominiam tuam reuelem: tuas spurcicias, sordes, abominationes, non quidem vrbi alicui, aut vni prouinciæ, verum regnis integris, atque adeo vniuerso orbi patefaciam. Quibusnam regnis Domine? Regnis scilicet Angelorum & demonum, damnatorum, & omnium adeo hominum. Hæc quænam regna! omnia tamen illa; peccata tua ad oculum videbunt.

Verum & alia in verbis Prophetis, *Ostendam gentibus nuditatem tuam*, latent acumina quæ aperiam. Mirum sane est, quomodo sæculi nostri mulieres constrictæ iam & quodammodo loricate incedant: quam ementitos colores & fallacia pigmenta faciei & oculis illinant, quam exoticis sese pulueribus conspergant, & oculos intuentium fallant: adeo vt vix quæ gibbo deformes sunt, quarū frontem rugæ arant, & Ethiopæ sunt furuiores, dignosci queant. Verum si omnia illa instrumenta & lorice auferrentur, ac quales reuera sunt, videre liceret, tunc facile, quæcumque gibbo, aut rugis, aut fuligine deformes essent, appareret.

Quin & aliud Propheta declarat: Vos, o peccatrices anime, iam quidem dissimulatis, & scenicos mimos imitami, tanta quoque iam vestra est hypocrisis, vt gibbi vestri, aut cicatrices, aut naui vix appareant: at in extrema illa die vos omnes penitus denudabo, & auferam vestimenta illa quibus vestram deformitatem cooperitis, ita vt nudas vos & apertas totus orbis sit conspecturus. quare apposite dictum, *Ostendam gentibus nuditatem tuam.*

Erit, erit illa dies, quando magnus ille Iudex expergiscetur, qui hæcenus sopore quodā grauatus, in iniquitatibus vestris dissimulando, ac veluti veterno quodā sepultus fuisse

260
 Comparatur visus est. Sed reuocare in memoriã impium
 Noacho à illum Cham. cum quo vos meritissimo com-
 Chã illuso. parem; detexerat ille vereda patris sui Noe,
 Gen. 6. ac deriserat vino inebriatum: cui Noe euigi-
 lans maledixit, atq; iratus scelestum è fami-
 lia sua proscrispit: *Euigilans autē Noe ex vino,
 cum dicit esset quæ fecit filius suus minor, ait:
 Ma edictus puer Chanaan, seruus seruorum est
 fratribus suis.* O filios ingratos, vos inquam
 peccatores, hodie quidem Christus in caelis
 amore vestri & longanimitate inebriatus
 dormit: & vos interea nuditatem eius dete-
 gitis, crucem eius subsannatis, eius ieiunij
 illuditis, & humilitatem eius exploditis. Sed
 illa, illa inquam die excitabitur, tanquam po-
 tens: *crapulatus à vino, ac maledictionem suam
 in vos eutrans, in æternum à suo contubernio
 & societate excludet.*

Conceptus insignis à medicis pe- titus.
 An non igitur, obfirmate & pernicax pec-
 cator, horrorem, & calamitatem
 illius diei perhorrescis? præniis tonitruis au-
 ditis, submina non times? Habent medici
 dies quosdam criticos, quos accurare & dili-
 genter solent attendere: quibus, si in agris vis
 morbi sese non remittat aut in graueleat, ma-
 le ominari consueverunt, ac quodammodo
 de recuperanda valetudine desperare. O vos
 animæ peccatrices, quæ ad mortem vsq; a-
 græ decumbitis, videte quæso hic diem ve-
 ltrum criticum, videte horrendum illum iu-
 dicij diem: sane nisi euidens quædam in mo-
 ribus vestris veniat emendatio, aut saltem in
 melius commutatio, male de vestra salute o-
 minandum est, concurrentia illa mali omni-
 nis est, ac verum perditionis argumentum.

Quid? an fieri posse putamus, vt furor
 diei huius vos non percellat? pallorē animis
 non iniciat: aut comæ præ horrore nõ stent:
 Sane, quamuis aut ferrei, lapidei, marmorei,
 aut denique ænei essetis: sola diei huius me-
 moria ad vos emolliendos, percellendos, ad
 quæ pœnitentiam conuertendos, sufficeret.
 Solent bombyces, cum adhuc teneri sunt, ad
 sonitum tonitruj ita percelli, vt confectum e-
 moriantur: & tu vilissimus terræ vermiculus,
 de quo in Psal. scribitur, *Ego sum vermis, &
 non homo, hisce minis, fragoribus, & procel-
 lis diuini iudicij auditis nõ commoueberis,
 aut percelleris? fieri ne posse credimus, to-*

Psal. 23.

tam terræ machinam contremiscere; & pul-
 uerem eius immotum permanere? vidit & Psal. 106.
commota est terra. Ipsi montes contrimefcunt
 & pauebunt, & factus cinericeus intrepidus
 perstabit? *montes sicut cera fluxerunt.* Ibid.

Apertis igitur oculis, o anima, considera
 attentius, quid tibi in seuerò illo tribunali,
 coram iudice adeo rigido, futurum sit, tibi
 inquam peccatis, sceleribusque grauata. *Vix Bern. serm.
 iustus, ait S. Petr. saluabitur, & ego miser vbi
 apparebo? Quid in Babylone iustum, si in Ieru-
 salem manet scrutatum? dicebat olim Bernar-
 dus. Quid cõfidere poterit peccator, per Ba-
 bylonem designatus, cum anima iusti suble-
 rusalē nomine expressa, adeo rigide exami-
 nabitur? Quid facient tabule quando tremunt
 columna.* Id est, quid anima nullis virtutum
 meritis insignita facient, si ipsæ columna
 grandiores, quibus Sanctorum animæ deno-
 tantur, coram iudice tremant, & concutian-
 tur? *Quid facient virgulae deserti, cum cedrus
 percutitur:* ait D. Gregor. At nõdum hic finis
 admirandi est, Auditor, noua admiratione
 modo opus est: subiiciam enim ea, quibus
 nihil magis inauditum, incredibile, inso-
 lentius nihil dici aut fingi possit. Si enim ipsa
 dies terribilis & pertrimescenda est: Ipse Iudex,
 qui præsidebit, & cuncta disquiret, multo est
 terribilior: Contemplor hic ignem: qui viam
 ei parabit: eumq; antecedit: *Ignis ante ipsum
 præcedit & inflammabit in circuitu inimicos eius.*
 Video Angelorum millia eum stipantia, &
 circum vndiq; adstantia, & omnes Ange-
 los eius cum eo. Video eum sublimem in tribunali cū
 maiestate magna, in aeris medio confiden-
 tem, in sede maiestatis suæ. Video eum sen-
 tentiam illam fixam, quæque reuocari non
 possit: aduersus omnes omnino homines p-
 fitentem, *Congruuntur ante eum omnes gen-
 tes.* Et vt paucis comprehendã, ipse Christus
 Iesus iudex erit: video namq; crucem, quæ in
 monte Caluariz stetit: ante eum gestari, vi-
 deo adhuc illum sanguine madentem & vul-
 neribus quinque, quæ velut iudicia suæ in nos
 sunt charitatis, insignitum.

O subitam rerum permutationē! hem no-
 uam metamorphosin? Vidistis Danielē pau-
 cis ante diebus in medio leonum, ab iniquis
 constitutum: at videte eundem modo omni-
 bus
 Figura, quibus le-
 sus Chri-
 stus in tri-
 bus

deno- bus Babylonis imperitantem. Vidistis non ita pridem adolescentem Ioseph a fratribus diuēditum, ab iniqua pellice accufatum, carceribus a Pharaone iniquissime māciparum : ac cōspicite modo quantum mutatus ab illo. Iesum Christum intelligo, a Iudæis, qui fratres eius secundum carnem erant, diuēditū, ab adultera synagoga inique accufatū, & infeliceiter in sepulchri angustias cōiectum; qui modo dominatur in tota terra Ægypti, cuius totius mundi iudicium Pater demandauit : *Data est mihi omnis potestas in celo & in terra.* Eum ipsum, quem paulo ante despectum & humiliatum vidistis, contemplantur modo in summa maiestate cōstitutum. Respice jam ipsum dō Satan quem in deserto ausus es impetere: & vos Iudæi eum, quem cruci affixistis, intueri jam hic Iuda, quem nefarie triginta argenteis vendidisti: vide jam eum Pilate, quem inique condemnasti: tu vero peccator eum, quem toties adeo nequiter & scelerate offendisti; & ad iram prouocasti. Quid dices ad hęc omnia miser, quid dices: quoniam modo te geres? quid ad te purgandum afferes: aut quomodo saluaberis?

Gen 45. Fratres Iosephi, videntes eum, quem antea vendiderant, dominari in tota terra Ægypti, simulque peccati in eum commissi recordātes, cum illis dixisset, *Ego sum Ioseph frater vester quem vendidisti in Ægyptum:* adeo consternati & terrore perterriti fuere, vt ne verbum quidē loqui possent. Vos porro peccatores quid hic dicetis? quid ageris, cum eum ipsum quē toties tantisque peccatis offendistis, ad iudicium venire conspicietis? cum eum, ira & furore aduersus peccatores concitatum, inque eisdem detonantem audieris, dicentemque, *Ego sum Deus quem vos offendistis in Ægypto,* quem in mundo toties ad iram concitastis, quem indigne toties habuistis, in quem toties blasphemia virus euomistis: Quid ad hęc respondere poteritis? imo vero an ne vel hicere audebitis!

Figura. Quibus anima ad iudicium timorem excitatur. Ah misera anima mea, mille & amplius peccatorum grauaminibus depressa, vbinam te tum abscondos? quānam antra, quānam deserta, quānam speluncas adibis? quos montes petes, in quibus tuto posses delitescere? Si reginam Saba coram Salomone vox & spiri-

tus defecit, si Esther Regina regis Assueri maiestatem verita ad eum accedere non est ausa: si Daniel conspecto Angelo emarcuit, & omni sentiendi vi amissa in terram coniecit: quid tibi euenturum putas sceleribus inquinatē, cum ante mundi arbitrum, Deum ipsū, iudicemque omnium omnino hominum apparebis? si Domini sepulchri custodes in resurrectione eius prae timore exterriti, & consternati sunt, ita vt mortui esse viderentur: si cohortes & milites Iudæorum, qui ad Iesum comprehendendum venerant, ad verbum, *Ego sum,* supini in terram ceciderunt: quid tu facies dō anima, vbi summum hunc iudicem, omnium iudicum primum, super pennas vectorum ambulatē, a Cherubin subuectum, magna potestate, in sede maiestatis, videris confidere? Hinc in stuporem raptus clamat *Isaias: Ingredere in petram, & abscondere in fessis: homo à facie timoris Domini, & à gloria maiestatis eius.*

Legimus in Exodo, Deo tabulas legis in Insignes monte Sinai Mosi tradente, audita tonitrua, figurē emicuisse fulgura, fumos & flammās apparuisse, magnoque venientū impetu, & clangore buccinarum totum circumquaque montem reboasse: vnde tāta Israëlitas, qui ultra sex cēta hominum millia erant, formido inuasit, vt Centuriones ipsi ducesque populi Moyse dicerent: *non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur:* Quare si tantillum tantam hominum multitudinē potuit percellere & terrere: quoniam modo peccatorē consternatū in existimamus, cū caelos sursum audiet fulgurantes, inferne barathrū auernale viderit exaltuans: hinc & illinc Elementa minantia, ante se iudicem iratū; a tergo diabolos prædē inhiātes, atque vndiquaque mille se periculis expositum perspexerit? Sāctus ille Propheta Iob hęc omnia spiritu Propheticō præuidens; exclamat: *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, donec pertransierit furor tuus. Idipsum quoque sanctissimus vates Dauid exoptat dicens: Quo à facie tua fugiam? si ascendero in caelum tu illic es: si descendero in infernum ades.*

Primus mundi inquilinus, ac primus prauaricator Adam, vnius tantum peccati reus, a Deo in iudicium citatus, nunquam iudici sese sistere ausus fuit: at sub arboribus latitans, offendit.

offensū cōditoris vindictam declinauit: nam, vt ait Sacra historia, *abscondi se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei, in medio ligni paradisi.* Quid vero vos peccatores, mille flagitijs cooperti, innumeris criminibus onerati, ageris: audebitis ne coram iudice comparere? vbinam quæso à vultu Domini fugientes latitabitis, cum omnes jam arbores in cēdio fuerint absumptæ. Hic pauebit avarus & tenax cum viderit iudicem vnica paupertate delictari: hic ambitiosus & arrogans deficiet, cum habiturus sit iudicem, qui omnes honores penit^o despexit. hic augetur & timebit superbus, lasciuus atq; impurus, cum eū se viderint iudicem nactus, qui castitatem humilitatemque perfectissime amplexus sit. Gloriam tuā atq; maiestatem, summe iudex, perferre nescio, ferit oculos meos maiestatis tuæ splendor: iram tuam faciemq; iratam non fero. itaque vt recedam, satius est.

V. Qui iudicio inter-
futuri sint.
Gen. 18.

Angeli
quoq; iudi-
cio intere-
runt.

Apoc. 7.

Vt vero aliquid de ijs dicamus, Auditores, qui vltimo huic & generali iudicio interfuturi sunt, sciendum est sanctissimam Trinitatem imprimis illic affuturam: cuius egregiū in Genesi exēplum legimus, vt scribitur, *Descenderunt tres viri ad spectandum Sodomorum incendium.* quo quid aliud designari putamus, quam tres sanctissima Trinitatis personas aliquando è caelo venturas, vt casum, exitium, mundiq; destructionē spectent? Solus tamen Iesus Christus auctoritate quadam singulari iudicio præerit. Ipsa quin etiam cœlestis Angelorum militia, tribus distincta ordinib. id est, in tres hierarchias diuisa, illic apparebit: vnaquæque hierarchia in tres iterum choros dispartita erit, & vnusquisq; chorus infinitos Angelos complectetur, quorum illi quidem ministrabunt, hi vero spectabunt: omnes tamē in æternū beatitudine cœlesti fructuri. Omnes itaq; intererunt, nō quidem iudicaturi, at solū ad iudicis iussū quā promptissime excipienda. Sanctorum quoque innumerabilis caterua, cuius Ioannes numerum subducere non poterat, dicēs. *Vidit urbem magnam, quam dinumerare nemo poterat,* iudicio astabit, adērunr quoq; omnes qui ad inferorū pœnas cōdemnati sunt, adērunr dæmones, atq; omnes infernales cohortes: adērunr denique omnes qui vniquā nati, imo vero & ipsi infantes, qui

non suscepto baptisate hinc discesserunt: nam congregabuntur ante eum omnes gentes. *Exech. 18.*

Quid, summe Iudex ac Saluator, an ne in innocuas illas animulas, quæ numquam solem hunc intuitæ sunt, & quæ nullum, ne minimum quidem, voluntate sua peccatum cōmiserere, quæq; numquam rationē aut arbitrio vsæ sunt, sententiæ tuæ fulmina vibrabis? An ne æquum est, iudex seuerissime, verum & clementissime, an ne rationi consentaneum, puniri eos qui in nullo deliquere? non enim videtur ipsis imputandum, si peccatit Adam. Cur namq; per Prophetam tuum dixisti: *filii non portabis iniquitatem patris sui?*

Deinde, ô iudex æquissime, & seuerissime, equū ne videtur, creaturas tuas, propter quatuor, aut quinq; , vel etiam tria peccata mortalia, imo vero propter vnicum, vno momēto perpetratum, citius quoq; factum quam cōceptum, æternis supplicijs damnationiq; perpetuæ tradi? an non sufficiat, Cain quatuor aut quinq; annorum millibus jam infernales flammæ tolerasse: Core, Dathan, & Abiron plusquam à tribus annorum millib. jam fuisse cōdemnatos: diuitem epulonem, Iudam traditorem, & infinitos alios duobus propemodum annorum millib. in auernali abyssu demersos, & voracibus flammis excruciatos? An non eorū te lacrymæ, suspiria, ciulatus, tormenta ac supplicia, ad miserationē commouebūt, rigoremq; iustitiæ tuæ emollient? Nequaquam: dicet enim: *se maledicti in ignē æternum,* cruciatus æternos & perpetuos, nullosq; vniquam æuo finiendos.

O Iesu clementissime: viuorū simul & mortuorum, Angelorum quoq; , dæmonum, hominum & totius mundi iudex, ne intres nobiscum in iudicium, neue extremum rigore aduersum nos exerceas: Si n. *iniquitates obser- P/sal. 139.*
uaueris, Domine Domine quis iustinebit? si omnia scrutari, & examinare volueris, si omnes conficiētæ angulos & recessus excutere: quis quælo saluabitur? quis dignus erit, in gloriam tuam admitti? Si adeo rigide nobiscum agere decreueris, & pro iustitia omnes iudicare: paradysum claudas necesse est, atq; omnes adeo in tartara præcipites: nullos enim vsquam iustos reperies. Sed ô dulcis animarum redēptor, furorem exue, aut saltem minue, misericor-

6149.

ricordiam habe nobiscum, neq; in furore tuo nos arguas : & mitis illius Iosephi exemplo (qui Princeps in tota regione Egypti, & primus a Pharaone factus, fratribus veterem injuriam remittens, eosdem exosculatus est, atque ipsidem thesauros suos aperuit) iam iudex totius mundi constitutus, ac toti mundo imperans, fratribus tuis ignosce : ignosce quæso hominib; benigno eos oculo respice, eosq; gloriæ tuæ visione locupletes redde. Imitare Domine Dauidem, qui vix ad regnum euectus fuit, quin statim omnib; qui stirpe & cognatione Saulis erant, præteritam injuriam remisit. O radix David, cum ad iudicium veneris, cum regnum hoc adieris, ignosce omni posteritati Saulis, generi Adam, ipsis inquam hominib;. Redeat tibi quæso in memoriam, nostri te causa è caelo in terram descendisse, nostri te causa cruce affixum, & in eadẽ mortuum, nostri te denique causa ad inferos vsq; penetrasse : post tot igitur labores, post tot arumnas & molestias, nos perdes & abijcies?

*Recordare Iesu pie,
Quod sumus causa tuæ viæ.
Ne nos perdas illa die.*

Fac igitur nobiscum misericordiam tuam, nosq; gloriæ tuæ participes effice. Amen.

FERIA III. POST DOMIN. I.
QVADRAGESIMÆ.

Partitio.

- I. De Ambitione & avaritia.
- II. De templo.
- III. De ementibus ac vendentibus.

Intrauit Iesus in templum Dei, & eiciebat omnes vendentes. Matth. 8.

FIGURA.

Exod. 19.

MAGNVS ille Propheta, & Hebræorum legislator Moyses, cum de Monte Sinai descendens, filios Israel Deum offendere, & illius cultu neglecto vitulum aureum, pessimo sane exemplo, adorare cõspiceret : adeo ira commotus est, vt, idolo euerso, contra-

cto, inque cineres redacto, ad expiationem delicti plusquã tria hominum millia interuentione deleuerit. Fuit hoc, Auditores, figura; aut præfagium potius eius sceleris, quæ in hodierno Euangelio nobis ab Ecclesia proponitur. Videas n. hic verum illum Moysen, Iesum Christum : qui non de monte Sinai, sed montibus caelestibus descendens, cū Iudæos, illorum Israelitarũ posteros, Deum in templo offendere, domumq; suam, vitulum autem avaritiæ adorando, prophanare, ibidemq; in omnium nationum exterarum scandalum, vendere & emere conspiceret, in tantum indignatus est, vt idolo illo ambitionis euerso & deiecto, vendentes & ementes è templo exterminarit, indignumq; hoc facinus merita ultione castigarit. Vt porro vobis rem deductius & latius dicendo quædam explicare, gloriofissima Virginis intercessione. *Aus Maria*, in hunc ei finem recitando, opem Spiritus S. postulemus.

Philosophus Timon, qui ab odio quo in mortale genus hominesque ferebatur *Timonis* *Deum* est appellatus, cū de malorum principijs ageret, dicere solebat, avaritiæ ambitionemq; omnium malorum & vitiorum radices esse ac propagines. De ambitione res notior est, quam dicere possemus : illa n. primam mundo perniciẽ inuexit, Angelos è caelo ad tartara præcipitauit, homines perdidit, cælũ corruptit, paradysumq; caelestem statim à mundi primordio inanem ac vacuum reddidit. De avaritiã vero quid dicam? illa est, quæ Iudam ad laqueum coegit, diuitiẽ Epulonem ad inferos detrusit, adeo vt nihil rebus publicis perniciosius, ac nihil Ecclesiis retrius aut scelestius reperiri posse videatur.

Per duos illos exploratores in domo metreticis Rahab latitantes Iericho & direpta *Iosu. 2.* & destructa est : ita quoq; avaritiã & ambitio sunt veluti duo Satanae exploratores, qui in pellacis huius mundi domo clam delitescentes, orbem pæne vniuersum in exitium ruinamq; deduxerunt. Duo scelerati illi ac lasciu iudices & seniores, in Susanna pomario se se occultantes, honestissima femina pudicitiam expugnare conati sunt : ad eundem quoque modum avaritiã & ambitio duo veterani sunt, scelesti ac tetri : antiqua sc. flagitia, qua

I. Timonis Philosophi Apophth.

Figura. *Iosu. 2.* *Dan. 14.*